A. Aſſumit in cœlum Matrem Chriſtus. illa dilecto Filio innititur ad dexteram honorificentiſſime.
B. Circumuolant cœleſtes ſpiritus, pſallentes cœleſte melos, & gloriam.
C. Collocat tandem Matrem Filius ante Diuinitatem, & ad ſanctiſſimam Trinitatem ſtatuit.
D. Ab ea coronatur ineffabili gloria, donis, dotibus, & priuilegijs ornatur excellentiſſimis.
E. Aperto ſepulcro credunt aſſumptam Apoſtoli à Filio, exultant in iubilum, & laudes eius cœleſtes.
F. Ad ſua quiſque loca vnde fuerant deducti Patres, ab Angelis reducuntur.

Regnat Maria Mater Dei cum Filio in omnem æternitatem glorioſiſſimè.

A. Apoſtoli, et alij ſancti Patres portantur ab Angelis Hieroſolymam, vt morti Dei Matris interſint, & aſſumptioni.
B. Domus in monte Sion, vbi Maria Virgo Mater eſt mortua.
C. Componit ſe honeſtiſſimè in lectulo, circunſtantibus Apoſtolis & Patribus.
D. Adeſt è cœlo Chriſtus cum innumerabilibus Angelis.
E. Expirat ſuauiſſime ſanctiſſimam animam Mater Dei in manus Filij, excellenti cum Angelorum gaudio, & Patrum deuotione.

A. *Paratur funus perquam honorificè.*
B. *Portant feretrum Petrus & Iacobus, et primi quique Apoſtolorum verſus torrentem Cedron.*
C. *Superne proſequitur funus Angelorum multitudo.*
D. *Perueniunt iuxta hortum Gethſemani, vbi erat paratum ſepulcrum nouum, felix tanta hoſpita futurum. Ibi eam ſepeliunt cum ſummis laudibus.*

A. *Ad finem tridui adeſt Chriſtus cum militia cœleſtis exercitus innumerabili.*
B. *Clauſo ſepulcro ſuſcitat Matrem, animam eius & corpus maximis donis cumulat.*
C. *Egreditur illa fulgentiſſima, immortalitatis gloria ornata, ſtellis duodecim coronata, amicta Sole, & ſub pedibus Lunam habens.*
D. *Excipit eam Chriſtus gratulatione ſumma.*
E. *Eam adorat, eique obedientiam è veſtigio defert cœleſtis exercitus, Dei Matrem, Reginam ſuam, & orbis profitetur vniuerſi.*
F. *Ceſſante in terris concentu Angelorum, intelligunt Apoſtoli reſurrexiſſe ſacram Virginem.*